



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ
Provinciæ Saxoniae S. Crucis**

Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz

Nevhsii, 1706

VD18 10502327

Titulus I. De benedictione & aspersione aquæ benedictæ in die Dominico.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

CÆREMONIALIS
Fratrum Minorum strictioris
Observantiæ Provinciæ Saxoniae
sanctæ Crucis,

PARS VI.
DE VARIIS BENEDICTIONIBUS ET
QUIBUSDAM ABSOLUTIONIBUS.
TITULUS I.

*De Benedictione et aspersione Aquæ Benedictæ
in die Dominica.*

1. Qui die Dominico primam Missam celebravit faciet benedictionem aquæ.

2. Ante summum sacrum *Sacerdos celebraturus indutus pluviali coloris Officio convenientis*, si illud non habeatur, alba & stola indutus accedit ad altare & ibi ad gradus : id est, super primum altaris gradum juxta GAVANTUM, cum Ministris similiter indutis genuflexus, etiam tempore Paschali accipit à Diacono qui illud ab Acolytho acceperat *aspersorium* præmissis consuetis osculis, & primo ter aspergit altare in medio scilicet, deinde versus cornu Evangelij, tum Epistolæ : id autem ita moderate agat, ne pallium altaris commaculet. Si Venerabile Sacramentum expositum sit non aspergit altare, juxta Ambrosianum Missale,

fale, editum Anno 1618. Deinde se adhuc genuflexus, aspergit, incipiens *Antiphonam ASPERGES ME*, & mox erectus aspergit Ministros Diaconum & Subdiaconum, & post hos Versicularios omnes adhuc genuflexos.

3. Ministrorum aspersione facta, omnes surgunt, & Sacerdos exhibita altari reverentia aspergit Clerum & Populum habens à dextris Acolythum qui sinistrâ simbriam pluvialis elevat, & dextra vasculum aquæ benedictæ portat, sic tamen lateraliter procedat Acolyth^o, ut Sacerdos quasi uno passu præcedat, reliqui Ministri manent contra altare stantes: Sacerdos sub aspersione legit Psalmum MISERERE.

4. Si adsit Prælatus, illum singulatim aspergit, facta ante & post reverentia, si plures adsint, hæc reverentia non fiat nisi digniori, reliquos autem non singulatim, sed absque ulla reflexione ad majorem vel minorem dignitatem plures simul aspergit. Si Prælatus steterit in cornu Evangelij, post aspersionem illius, ab illo latere prosequitur ob commoditatem manus dextræ, & dum reversus ad Presbyterium, facta altari reverentia se vertit ad eos qui sunt in cornu Epistolæ, & incipiendo ab iis qui sunt altari proximiores reliquos aspergit: si verò Prælatus steterit in cornu Epistolæ, post aspersionem illius, facta altari reverentia se vertit ad cornu Evangelij, & ab iis qui ab altari remotiores sunt ob commoditatem manus dextræ, ut dictum est, aspersionem incipit & prosequitur.

5. Sacerdos aspergens non inclinatur caput Clero aut Populo: quos tamen decet capite detecto stare caputq; reverenter Sacerdoti aspergenti inclinare: sub aspersione Sacerdos se decenter gerat, manumque ita elevet, ut moderatè appluat; & non in faciem aquam benedictam projiciat.

6. Sacerdos qui asperxit aquam, reversus ad altare reddit aspersorium Diacono stans ante gradus altaris. Etiam si citius redierit quam Chorus solverit, manet cum Ministris, qui excepto Acolytho Sacerdotem aspergentem non comitantur, stans ante gradus ad altare conversus. Postquam verò Chorus finivit *junctis manibus dicit Versum: OSTENDE NOBIS DOMINE, &c.* ut in Missali.

7. Si

7. Si Episcopus adsit, Sacerdos antequam se aut Ministros aspergat, illi aspersorium, illud prævie osculando, reverenter porrigat, tum ut se, tum ut Celebrantem aspergat: si recuset, sed velit à Celebrante aspergi, id cum profunda reverentia modeste fiat. Si adsint personæ excellentes v. g. Comites aut Prælati Cathedralium Ecclesiarum, & ipsis aspersorium, antequam aspergatur Prælatus Ordinis nostri reverenter præsentari poterit: attendenda autem locorum consuetudo, ne vel per excessum vel defectum peccetur.

8. Dicta oratione EXAUDI NOS DOMINE, & facta altari genuflexione ad Sacristiam revertuntur, ubi Sacerdos deposito pluviali, accepto manipulo, assumit calulam pro Missa, Ministris etiam suos manipulos assumentibus.

TITULUS II.

De variis Benedictionibus.

Benedictio Indumentorum Sacerdotalium.

¶. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.*

¶. *Qui fecit cælum & terram.*

¶. *Dominus vobiscum.*

¶. *Et cum spiritu tuo.*

O R E M U S.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per Moysen famulum tuum Pontificalia et Sacerdotalia, seu Levitica vestimenta, ad explendum in conspectu tuo ministerium eorum ad honorem et decorem nominis tui fieri decrevisti: adesto propitius invocationibus nostris; et hæc indumenta Sacerdotalia, de super irrigante gratiâ tuâ ingenti benedictione per nostræ humili-